MASTER NEGATIVE NO. 92-80480-9

AUTHOR:

TITLE:

DISPUTATIO DE USU DATIVI GRAECORUM...

PLACE:

LUNEBURGI

DATE:

1836

Master Negative #

92-80480-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books        FUL/BIB   NYCG91-B44773          Acquisitions      NYCG-NEH
FIN ID NYCG91-B44773 - Record 1 of 1 - SAVE record
+
  ID:NYCG91-B44773    RTYP:b    ST:s    FRN:      MS:       EL:       AD:04-26-91
  CC:9118   BLT:am     DCF:a    CSC:d   MOD:      SNR:      ATC:      UD:09-10-91
  CP:nyu      L:lat    INT:     GPC:    BIO:      FIC:0     CON:
  PC:r       PD:1991/1836       REP:a   CPI:0     FSI:0     ILC:      MEI:0   II:0
  MMD:d      OR:?   POL:a    DM:f    RR:a012     COL:b     EML:a     GEN:c   BSE:a
  MMD:d      OR:?   POL:b    DM:f    RR:a012     COL:b     EML:a     GEN:a   BSE:a
  MMD:d      OR:?   POL:b    DM:f    RR:a012     COL:b     EML:a     GEN:b   BSE:a
  035     (NNC)MN91-80078-38
  040     NNC‡cNNC.
  245 00  Disputatio de usu dativi Graecorum pro genitivo positi ad Sophocl. Ant
        igon. v. 857-861‡h[microform].
  260     Luneburgi :‡b[s.n.],‡c1836.
  300     20 p. ;‡c28 cm.
  500     "Ad examen scholasticum sollemne quod in gymnasio Ioanneo..."
  505 2   "Schulchronik":  p. 13-20.
  533     Microfilm.‡bNew York, N.Y. :‡cColumbia University Libraries,‡d1991.‡e1
        microfilm reel ; 35 mm.
  583     Filmed;‡fNEH Project (FWC).
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm　　REDUCTION RATIO: 12 1/2 x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 05.11.1992　　INITIALS: Cw tan

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

[Textum]
[Sophocles Antigone]
Nr. 3

3

AD EXAMEN

SCHOLASTICUM SOLLEMNE

QUOD IN

GYMNASIO IOANNEO

A. D. XXIII. M. MARTII A. MDCCCXXXVI ET SEQQ. DIEBUS

INSTITUETUR

PROCERES REIPUBLICAE,
PRAESIDES HUJUS CIVITATIS ET SCHOLAE,
CURATORES LITERARUM,
RELIGIONIS ATQUE INSTITUTIONIS SCHOLASTICAE,

OMNES OMNINO VIRTUTIS AC DOCTRINAE FAUTORES, AMATORES

HUMANISSIME INVITAT

CAROLUS FRID. HENR. ALB. HAAGE,
IOANNEI DIRECTOR.

INSUNT:

1. Disputatio de usu Dativi Graecorum pro Genitivo positi ad Sophocl. Antigon. v. 857 — 861.
2. Annales Ioannei Luneburgensis inde a tempore paschali MDCCCXXXV usque ad finem anni scholastici.

LUNEBURGI, MDCCCXXXVI.

A

Otto Albers
1836.

Sophoclis Antigona

v. 857 — 861.

"Εψαυσας ἀλγεινοτάτας ἐμοὶ μερίμνας,
πατρὶ τριπόλιστον οἶκτον,
τοῦ τε πρόπαντος ἁμετέρου πότμου,
κλεινοῖς Λαβδακίδαισιν.

Locus hic difficillimus, quum virorum doctorum conatibus mirum in modum esset vexatus, tandem praeeunte Matthiaco in Grammatica Graeca §. 389. 3. p. 715. a Boeckhio, Viro Illustrissimo, erudite est explicatus, ejusque sententia et a Wexio et a Wundero, editore novissimo, ita ab omni parte est defensa et probata, ut is, qui ad eam confirmandam et clarius etiam illustrandam aliquid addere velit, rem actam agere videatur. Verum enim vero usus iste dativi (*κλεινοῖς Λαβδακίδαισιν*) pro genitivo positi, qui quidem a grammaticis (v. Lesbonax p. 181) schema Colophonium nominatur, in quo h. l. statuendo viri illi doctissimi consentiunt, quanquam viri harum rerum periti ingentem exemplorum nubem et in grammaticis et in commentariis ad veteres scriptores congesserunt, multique docte et acute de eo exposuerunt,*) nondum ita est pertractatus, ut quum universa ejus ratio sit explanata, tum locus ille Sophocleus ad eam rite sit revocatus. Itaque operae pretium me

---

*) v. Matth. Gr. Gr. §. 389. Kühner. Gr. Gr. §. 575 — §. 580., qui inprimis de dativo cum substantivis verbalibus erudite exponit, Bernhardy Synt. Gr. p. 88 et 89. praeter viros doctos ab illis laudatos, Matth. ad Hymn. Hom. p. 6. Boeckh. not. crit. ad Pind. Olymp. 2, 16. Diss. ad Pind. T. II. p. 14. Musgr. ad Eur. Iph. Taur. v. 445. Abresch. Auct. Diluc. ad Aesch. p. 240. Matth. ad Eur. Phoen. v. 18. Reisig. Enarr. ad Soph. Oed. Col. p. CLXXXIV. Valck. ad Eur. Phoen. v. 941. Duker. ad Thuc. 5, 46. 7, 50. 8, 21. Valck. ad Herod. 7, 169. Wessel. ad Herod. 7, 16. Poppo ad Thuc. P. I. Vol. I. p. 121 et 125. Stallb. ad Plat. Phileb. p. 30. ad Euthyphr. p. 101. ad Cratyl. p. 204. multosque alios Platonis locos, Heind. ad Gorg. p. 229. Ast. ad Plat. Symp. interpr. germ. p. 262.

facturum esse speravi, si usum illum accurato examini denuo subjecissem, ejusque natura et regula recte constituta ejus vim et indolem in loco illo demonstrassem. Jam vero, ut omnis disputatio recto procedat cursu, et de dativi vi et usu et de ejus relatione ad ceteros casus videtur esse exponendum.

Casus quum ea de caussa sint inventi, ut rationes agendi, quae subjectum inter et objecta intercedunt, significent, ita ut nominativus denotet eam personam s. rem, quae aliquid gignit, profert, facit, agit, genitivus eam, e qua aliquid gignitur, profertur, paratur, accusativus id, quod gignitur, profertur, paratur, agitur, aut personam s. rem, in qua, quod subjecti actione genitum et factum est, cernitur, dativus personam s. rem, quae actionem subjecti, sive id, quod ea gignitur et paratur, accipit acceptumque servat suumque facit: sponte patet dativi naturam esse eam, quae omnium casuum maxime vividae et efficacis actionis rationem indicet, quippe qui non solum id significet, quod actioni subjecti est subjectum, sed etiam id, quod eam quasi concipit inque concipiendo, accipiendo, servando suam quoque habet vim et actionem.*) Quo factum, ut ceteris casibus temporum decursu a primario usu deflexis et a pristina vita et vigore in languorem atque adeo mortem**) corruptis dativus Graecorum temporum corruptelae fortiter resistens multis locis usu multiplici et vario primigeniam veteris linguae vim, revera vitalem vitaeque plenam, servaret, priorisque conditionis imaginem luculenter promeret et ostenderet. Ad quod probandum sufficiant vel ea exempla, quae Bernhardy Synt. Gr. p. **82** — **88**. profert, quanquam vir ille eruditissimus et acutissimus primariam Dativi vim plane ignorans eos usus, qui revera sunt derivati, primo loco (p. **77** sqq.) posuit ac plurimos locos, in quibus ille vim propriam servat, perverse et contorte explicavit. Omnium autem casuum genitivus maxime, cujus usus longe lateque pateret ingentemque significationum ambitum complecteretur, a primitiva sua natura degeneravit, ita ut casus gignendi, quem recte dixeris caussae et originis, rebus diversissimis, modo altera alteram aliqua ex parte accuratius constitueret et definiret, conjungendis inserviret. Hinc prognati genitivi loci, temporis, discriminis, separationis, pretii, possessionis etc., quibus rarius verba, in quibus proprie inest notio faciendi et agendi, cum substantivis junguntur, quam substantiva cum substantivis. Qui quidem posterior genitivi usus caussa fuit, ut scriptores Graeci, imprimis antiquiores et poetae, antiquum usum servantes, saepissime iis locis, quibus genitivus recte poni poterat atque ex vulgari adeo usu ponebatur, dativum ponerent. Quod primum ita fiebat, ut dativus ad verbum relatus non sicut genitivus nomen nomini jungeret,

*) v. de casibus acute disputantem Aug. Grotefend. Gr. ampl. p. **283** — **312**. eundemque in Epist. ad Hartung. de principiis ac significationibus casuum, Gotting. **1835**.

**) veluti recte dicas ablativum Latinorum dativum emortuum.

sed personam s. rem notaret, quae actionis particeps ex ea aut commodum aut incommodum ferret, inde aut gaudium aut dolorem caperet, aut certe propter rem verbo significatam aliqua ex parte mente et animo moveretur. Cujus generis multa exempla habet Matth. Gr. Gr. §. **389**. **1**. Hom. Od. **11**, 553. *Αἶαν, παῖ Τελαμῶνος ἀμύμονος, οὐκ ἄῤ ἔμελλες οὐδὲ θανὼν λήσεσθαι ἐμοὶ χόλου*, *mihi oblivisci*. Soph. Ajac. v. **718**. *εὖτέ γ' ἐξ ἀέλπτων Αἴας μετανεγνώσθη θυμῶν Ἀτρείδαις μεγάλων τε νεικέων*. Dativus pendet a. *μετανεγνώσθη*, non a *θυμῶν*, quod falso censet Lobeckius. Similia vide apud Schaefer. ad Eurip. Phoen. ed. Pors. v. **948**. Soph. Electr. v. **764**. *τὸ πᾶν δὴ δεσπόταισι τοῖς πάλαι πρόῤῥιζον, ὡς ἔοικεν, ἔφθαρται γένος*, i. e. *Oreste mortuo gens dominis i. e. Atridis plane est exstincta, qui scilicet illo exstincto et privati sunt progenie et ultore caedis, qua occubuit Agamemnon.* Eur. Iphig. Taur. v. **445**. *τὰ γὰρ Ἑλλήνων ἀκροθίνια δὴ ναοῖσι πέλας τάδε βαίνει*, quo loco Marklandi sententia, qui *ἀκροθίνια ναοῖσι* conjunxit, rejicienda, Seidleri, cui praestare videtur *ναοῖσι* conjungere cum *πέλας βαίνει*, probanda. Aristoph. Ran. v. **334**. *θρασεῖ δ' ἐγκατακρούων ποδὶ τὰν ἀκόλαστον φιλοπαίγμονα τιμὰν, χαρίτων πλεῖστον ἔχουσαν μέρος, ἁγνὰν, ἱερὰν ὁσίοις μύσταις χορείαν*, q. l. dativus pendet ab *ἐγκατακρούων*, significans *saltationem institui ab ipso Deo mystis, ut eorum animi gaudio et laetitia perfundantur.* Rejicienda enim Reisigii explicatio ad Soph. Oed. Col. v. **323**. p. **234**. prolata; quam enim statuit dativi propriam vim, eam neque in loco Aristophanis, neque in Sophocle cum Censore Jenensi p. **240**. Diar. Jen. a. **1825**. nr. **90**. potui agnoscere. Thucyd. **3**, **24**. *ἐσπένδοντο ἀναίρεσιν τοῖς νεκροῖς*, non *pepigerunt sepulturam mortuorum*, sed *sepulturam in commodum et gratiam mortuorum*, ad quorum sensum et animum cura funeris pertineret, ita ut ipsi mortui, quasi vivi adhuc et sensu praediti, in doloris societatem vocarentur. Thuc. **4**, **6**. *ἐσπάνιζον τροφῆς τοῖς πολλοῖς*, quo dativo difficultas annonae, qua plurimi premebantur, gravius significatur. Simili modo Thuc. **1**, **5**. *οἱ γὰρ Ἕλληνες τὸ πάλαι καὶ τῶν βαρβάρων οἵ τε ἐν τῇ ἠπείρῳ παραθαλάσσιοι καὶ ὅσοι νήσους εἶχον, ἐπειδὴ ἤρξαντο μᾶλλον περαιοῦσθαι ναυσὶν ἐπ' ἀλλήλους, ἐτράποντο πρὸς λῃστείαν, ἡγουμένων ἀνδρῶν, οὐ τῶν ἀδυνατωτάτων κέρδους τοῦ σφετέρου αὐτῶν ἕνεκα καὶ τοῖς ἀσθενέσι τροφῆς*, dativus non tam cum *τροφῆς* conjungendus, quam cum verbo *ἐτράποντο*, ita ut cura infirmis impensa gravius significetur. Accedit, quod casus tertius videtur positus esse, ut duorum genitivorum concursus vitetur. Quod saepius factum esse multi loci probant, veluti Eurip. Hippol. v. **187**. *κρεῖσσον δὲ νοσεῖν ἢ θεραπεύειν· τὸ μὲν ἐστιν ἁπλοῦν, τῷ δὲ συνάπτει λύπη τε φρενῶν χερσίν τε πόνος*, et Plat. Apol. p. **40**. C. *ἢ κατὰ τὰ λεγόμενα μεταβολή τις τυγχάνει οὖσα καὶ μετοίκησις τῇ ψυχῇ τοῦ τόπου τοῦ ἐνθένδε εἰς ἄλλον τόπον*. Ceterum cum duobus locis Thucydideis proxime positis, quos Poppo de Elocutione Thucydidis p. **125** minus accurate explicat, conferendus Demosth. Olynth. I, p. **15**. R. *εἰς στενὸν κομιδῇ τὰ τῆς τροφῆς τοῖς ξένοις αὐτῷ κατα-*

στήσεται, quem locum Heind. ad Plat. Soph. p. **272**. cum aliis et plane diversis miscet. Similiter explicandi loci, quos affert Wesseling. ad Herod. **9**, **41**. Xenoph. Hell. **7**, **3**, **10**. *ποῦ ἔχων Ἕλλησι σπονδὰς ἀποδεῖξαι ἢ παλιναυτομόλοις ἢ τυράννοις*. Dativus pendet a verbo *ἀποδεῖξαι*. — Ita dativus in appositione locum habet. Hom. Il. **18**, **560**. *αἱ δὲ γυναῖκες, δεῖπνον ἐρίθοισιν, λεῦκ' ἄλφιτα πολλὰ πάλυνον*. Scilicet verbum ex enunciatione primaria ad appositionem quoque est referendum. Aesch. VII, v. **1014**. *τούτου δ' ἀδελφὸν τόνδε Πολυνείκους νεκρὸν ἔξω βαλεῖν ἄθαπτον, ἁρπαγὴν κυσίν*. Huc denique referendi loci, in quibus dativus per figuram *καθ' ὅλον καὶ μέρος* explicandus est. Soph. Electr. v. **902**. *ἐμπαίει τί μοι ψυχῇ συνῆθες ὄμμα*. Il. *λ*, **11**. Soph. Phil v. **747**. Pind. Pyth. **1**, **7**. v. Kühner. Gr. Gr. §. **580**. *β*. Matth. Gr. Gr. p. **716**. —

Frequentissimus autem iste usus dativi in pronominibus personalibus, quae quo facilius pro ipsa eorum natura variis orationis generibus possunt aptari, eo audacius dativo posita eum, de quo nunc agimus, usum amplificarunt transitumque ad alia paravere. Il. *μ*, **174**. *Ἕκτορι γάρ οἱ θυμὸς ἐβούλετο κῦδος ὀρέξαι*. Dativus *οἷ* relationem ad subjectum, ad Jovis animum et voluntatem fortius significat. Il. *μ*, **334**. *πάπτηνεν δ' ἀνὰ πύργον Ἀχαιῶν, εἴ τιν' ἴδοιτο ἡγεμόνων, ὅστις οἱ ἀρὴν ἑτάροισιν ἀμύναι*, qui perniciem defendat *a sociis*, quorum salutem tanti aestimat, ut iis servatis *sibi* quoque salutem parari putet. Il. *ν*, **168**. *οἰσόμενος δόρυ μακρὸν, ὅ οἱ κλισίηφιν ἔλειπτο*. Herod. **1**, **31**. *οἱ δέ σφι βόες ἐκ τοῦ ἀγροῦ οὐ παρεγένοντο ἐν ὥρῃ· σφί* *sc. ut iis uterentur*, quamquam pronomen inter articulum et nomen positum eam quoque vim habeat, ut pronominis possessivi vicem simul expleat. Quae observatio ad multos locos pertinet. Pind. Olymp. **2**, **14**. *εὔφρων ἄρουραν ἔτι πατρίαν σφίσιν κόμισον λοιπῷ γένει*, ad q. l. omnino conferendus Dissenius, acutissimus harum rerum judex. Idem praeclare expedivit Olymp. **1**, **57**, in universum recte de hoc usu disputans, sed eum arctioribus limitibus circumscribens. Saepe ita duo Dativi conjuncti. Pind. Olymp. **8**, **83**. *ὄν σφι Ζεὺς γένει ὤπασεν*. Nem. **7**, **22**. *ἐπεὶ ψεύδεσί οἱ ποτανᾷ τε μαχανᾷ σεμνὸν ἔπεστί τι*. Soph. Oed. Tyr. **1523**. *καὶ γὰρ ἃ 'κράτησας, οὔ σοι τῷ βίῳ ξυνέσπετο*. Plura hujus generis v. apud Matth. Gr. Gr. p. **715**. Hinc via ad audaciora et difficiliora munita. Pind. Olymp. **9**, **15**. *αἰνήσαις ἑ καὶ υἱὸν, ὂν Θέμις θυγάτηρ τέ οἱ Σώτειρα λέλογχεν*. *Laudes ipsam et filium, quam Themis filiaque ejus servatrix sortita est gloriosa Eunomia. οἷ* i. e. *ipsi Themidi, ut Themis ejusque jura colantur, serventur.* Dativus matris sensum, gaudium, curam videtur significare. Plato Theaet. p. **210**. B. *οὐκοῦν ταῦτα μὲν πάντα ἡ μαιευτικὴ ἡμῖν τέχνη ἀνεμιαῖά φησι γεγενῆσθαι, οὐκ ἄξια τροφῆς;* ars quidem *nostra*, sed ea ars *nobis*, *ad probandam sententiam nostram* id demonstravit. Similiter Plato Rep. **4**, p. **431**. B. *ἀπόβλεπε τοίνυν, ἦν δ' ἐγώ, πρὸς τὴν νέαν ἡμῖν πόλιν*. Plat. Leg. **1**, init. *τοῦ κατὰ τὰς παρ' ἐκείνου φήμας ταῖς πόλεσιν ὑμῖν θέντος τοὺς νόμους*. Plat. Charm. §. **12**. recte ex-

pedivit Matth. Gr. Gr. §. **389**, **2**. Plat. Cratyl. p. **395**. B. *ὅ τε γὰρ τοῦ Χρυσίππου αὐτῷ φόνος καὶ ἃ πρὸς τὸν Θυέστην ὡς ὠμὰ διεπράττετο, πάντα ταῦτα ζημιώδη καὶ ἀτηρὰ πρὸς ἀρετήν. αὐτῷ* pro *αὐτοῦ*, sc. *Pelopis*, habet excusationem a verbo passivo *διεπράττετο*, quod in altera enunciationis parte positum eo facilius, ut dativus *αὐτῷ* poneretur, efficere potuit, quo durior duorum genitivorum concursus futurus erat. Herod. **1**, **82**. *τῶν οἱ συλλογιτέων διεφθαρμένων*. Dativus ut pendet a participio *διεφθαρμένων*, ita ut poneretur etiam praepositionem *σὺν* caussam fuisse, probabili conjectura statui licet. Lys. in Alcib. p. **518**. *καὶ πρότερον πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῖν διαφορᾶς ὑπαρχούσης*. Cave igitur putes, esse in his locis dativum possessivum, quae est sententia Kühneri Gr. Gr. §. **580**. b) p. **249**. Dativus propriam vim servat, sed loco, quo positus est, simul efficitur, ut genitivi possessivi vim sustinere videatur. Ad idem genus referenda Thucyd. **1**, **32**. *τετύχηκε δὲ τὸ αὐτὸ ἐπιτήδευμα πρός τε ὑμᾶς ἐς τὴν χρείαν ἡμῖν ἄλογον καὶ ἐς τὰ ἡμέτερα αὐτῶν ἐν τῷ παρόντι ἀξύμφορον*. Thuc. **1**, **6**. *καὶ οἱ πρεσβύτεροι αὐτοῖς τῶν εὐδαιμόνων διὰ τὸ ἁβροδίαιτον οὐ πολὺς χρόνος ἐπειδὴ χιτῶνάς τε λινοῦς ἐπαύσαντο φοροῦντες;* quo quidem loco ratio dativi certa quidem et regulae nostrae consentanea, sed difficilius verbis exprimenda, dativo quem dicunt ethico comparanda. Adde locos, quos affert Poppo de Elocut. Thuc. p. **125**. Heindorf. ad Plat. Soph. p. **272**. et p. **287**. Ad dativum istum ethicum, cujus usus apud Graecos frequentissimus fuit, (vide praeter Matth. Gr. Gr. §. **389**. et viros doctos, quos ibi laudat, Jensium ad Lucian. Tim. §. **52**. T. I, p. **168**. ed. Hemst. Interpretes ad Aristoph. Aves v. **146**. Drak. ad Sil. Italic. **1**, **46**. Stallb. ad Plat. Remp. T. **1**, p. **56**. p. **182**. q. **192**.), ut ex iis, quae supra adtuli, nonnulla referri possunt, sic ejus ope explicanda Plat. Theaet. p. **143**. D. *τίνες ἡμῖν τῶν νέων ἐπίδοξοι γενέσθαι ἐπιεικεῖς* etc. et ibidem E. *οἵῳ ὑμῖν τῶν πολιτῶν μειρακίῳ ἐντετύχηκα*. Sophist. p. **216**. D. *τοῦ μέντοι ξένου ἡμῖν ἡδέως ἂν πυνθανοίμην, εἰ φίλον αὐτῷ; τί ταῦθ' οἱ περὶ τὸν ἐκεῖ τόπον ἡγοῖντο καὶ ὠνόμαζον*. Leg. p. **658**. *τὸ ἦθος ἡμῖν τῶν νέων*. etc. Locum ex Eurip. Iphig. Aul. v. **604**. Bernhardy Synt. Gr. p. **80**. interpunctione mutata male huc refert, *σὺ δ', ὦ τέκνον, μοι λεῖπε πωλικοὺς ὄχους*. Nam vel concesso, *μοὶ* pronunciatione esse conjungendum cum *τέκνον*, non sequitur, *μοὶ* a solo substantivo *τέκνον* pendere. Ceterum paullo liberiore illo dativi pronominum personalium usu factum est, ut apud posterioris aetatis scriptores dativus pro genitivo possessivo ita poneretur, ut revera genitivi vim plane aequaret, v. Hemsterh. ad Aristoph. Plut. p. **2**. qui quidem in eo errat, quod hunc usum Atticis tribuit.

Ex exemplis, quae protulimus et explicavimus, dativum saepe quidem ita poni, ut genitivi vicem obire videatur, sed ad verbum relatum propriam suam vim servare omnino patet. Sequitur altera locorum classis, in quibus dativus substantivo adjungitur, quod structuram verbi, unde aut derivatum est aut quocum ejusdem est originis, assumpsit, ita ut primaria dativi vis, qua actionem quasi concipit

aut accipit eamque suam facit, servetur. Quod inprimis ex iis locis patebit, in quibus substantivum verbale in structuram grammaticam vim quidem exercet, sed nihilominus tamen relatio ad ipsum enuntiationis verbum clara est et perspicua. Soph. Oed. Tyr. v. **495**. ἐπὶ τὰν ἐπίδαμον φάτιν εἶμ' Οἰδιπόδα, Λαβδακίδαισιν ἐπίκουρος ἀδήλων θανάτων, qui locus eadem ratione explicari potest, qua exempla supra prolata, dativo relato ad εἶμ' ἐπίκουρος, quanquam usus verbi ἐπικουρεῖν τινὶ non negligendus. Herod. **7**, **16**. Ἀρτάβανος δὲ οὐ τῷ πρώτῳ οἱ κελεύσματι πειθόμενος etc. οἱ referri potest ad πειθόμενος, sed eo facilius dativus poni poterat, quo frequentior usus verbi κελεύειν cum casu tertio positi. Thucyd. **5**, **46**. καὶ ἀφικομένων αὐτῶν καὶ ἀπαγγειλάντων τά τε ἄλλα καὶ τέλος εἰπόντων, ὅτι εἰ μὴ τὴν ξυμμαχίαν ἀνήσουσι Βοιωτοῖς μὴ ἐσιοῦσιν ἐς τὰς σπονδὰς, ποιήσονται καὶ αὐτοὶ Ἀργείους καὶ τοὺς μετ' αὐτῶν ξυμμάχους, τὴν μὲν ξυμμαχίαν οἱ Λακεδαιμόνιοι Βοιωτοῖς οὐκ ἔφασαν ἀνήσειν. Ut conjungi possunt τὴν ξυμμαχίαν Βοιωτοῖς, sic Βοιωτοῖς explicare potes *in damnum Boeotorum*, Thuc. **3**, **11**. ξύμμαχοι ἐγενόμεθα οὐκ ἐπὶ καταδουλώσει τῶν Ἑλλήνων Ἀθηναίοις, ἀλλ' ἐπ' ἐλευθερώσει ἀπὸ τοῦ Μήδου τοῖς Ἕλλησιν, q. l. Mitylenaeus dativis Ἀθηναίοις et Ἕλλησιν sibi oppositis gravissimam Atheniensibus invidiam conflare studet. His locis adjungamus exempla, in quibus dativus ad nomina verbalia refertur, ita ut verbi totius enuntiationis primarii nulla ratio habeatur. Hom. Il. ν, **452**. Δευκαλίων δ' ἐμὲ τίκτε, πολέσσ' ἄνδρεσσιν ἄνακτα Κρήτῃ ἐν εὐρείῃ. Eur. Phoen. v. **17**. ὦ Θήβαισιν εὐίπποις ἄναξ. Aesch. Choeph. v. **235**. ὦ φίλτατον μέλημα δώμασιν πατρός. Thuc. **6**, **18**. καὶ μὴ ὑμᾶς ἡ Νικίου τῶν λόγων ἀπραγμοσύνη καὶ διάστασις τοῖς νέοις ἐς τοὺς πρεσβυτέρους ἀποτρέψῃ. Plat. Resp. V. p. **464**. A. Ἆρ' οὖν τούτων αἰτία πρὸς τῇ ἄλλῃ καταστάσει ἡ τῶν γυναικῶν τε καὶ παίδων κοινωνία τοῖς φύλαξι. Theaet. p. **176**. B. φυγὴ δὲ ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν. Praeter nomina his locis prolata memoranda: ὁμιλία, ἔρις, ξυμφωνία, ἀμεμφία, ἀπιστία, τιμώρημα, ὠφέλημα, μήνιμα etc. Neque hic usus in iis tantum valet nominibus, quae a verbis derivantur, quae solum dativum regunt, sed etiam in iis, quae accusativum rei et dativum personae adsciscunt. Soph. Trach. **658**. οὐ δή τι τῶν σῶν Ἡρακλεῖ δωρημάτων; sic δόσις, ἀπόδοσις, παρακέλευσις, ἐπανάστασις, alia cum dativo junguntur. Vide Kühnerum de hoc usu substantivorum verbalium docte et accurate disputantem in Gr. Gr. p. **241**—**248**. Heind. ad Plat. Soph. p. **260**. Duker. ad Thuc. **5**, **46**. Stallbaum. ad Phileb. p. **30**. ad Plat. Remp. T. I. p. **366**. p. **372**. Pors. ad Eur. Phoen. v. **948**. Hoc autem usu adeo pervulgato factum est, ut etiam substantiva, quorum verba vulgo cum dativo non conjunguntur, sed dativum commodi aut incommodi pro natura sua adsciscere possunt, cum dativo construantur, ita ut in universum dici possit, *substantivis verbalibus saepe dativum commodi aut incommodi adjungi*. Hom. Il. ν, **450**. ὃς πρῶτον Μίνωα τέκε, Κρήτῃ ἐπίουρον cum quo loco compares Il. κ, **341**. οὗτός τοι, Διόμηδες, ἀπὸ στρατοῦ ἔρχεται ἀνήρ, οὐκ οἶδ', ἢ νήεσσιν ἐπίσκοπος ἡμετέρῃσιν, ἤ τινα συλήσων νεκύων κατατεθνηώτων. Pind.

Olymp. **13**, **15**. καὶ τὰν πατρὸς ἀντία Μήδειαν θεμέναν γάμον αὐτᾷ, ναΐ σώτειραν Ἀργοῖ καὶ προπόλοις. i. e. *quae servavit, praestitit navi salutem*. Eur. Orest. v. **353**. ὁ ναυτίλοισι μάντις. Eurip. Iphig. Taur. v. **375**. ἐγὼ μὲν οὖν τὰ Ταντάλου θεοῖσιν ἑστιάματα ἄπιστα κρίνω, παιδὸς ἡσθῆναι βορᾷ. Plat. Resp. **10**, p. **607**. εἰδέναι δὲ, ὅτι ὅσον μόνον ὕμνους θεοῖς (i. e *in honorem deorum compositos*) καὶ ἐγκώμια τοῖς ἀγαθοῖς ποιήσεως παραδεκτέον εἰς πόλιν. Quippe dicitur ὑμνεῖν ὕμνον τινί. Ἐγκώμιον sane non recte dixeris substantivum verbale, sed sequitur nomen similis significationis constructionem nominis ὕμνος. In Platonis quidem Symposio p. **194**. D. ἀναγκαῖον δέ μοι ἐπιμεληθῆναι τοῦ ἐγκωμίου τῷ Ἔρωτι καὶ ἀποδέξασθαι παρ' ἑνὸς ἑκάστου ὑμῶν τὸν λόγον. τῷ Ἔρωτι videtur pendere ab ἐγκωμίου, sed vide, ne hic locus iis sit adnumerandus, in quibus dativus a verbo enunciationis primario (h. l. ἐπιμεληθῆναι) pendeat. Aesch. Pers. v. **840**. ἦ πολλὰ καὶ παρόντα καὶ μέλλοντ' ἔτι ἤλγησ' ἀκούσας βαρβάροισι πήματα, quem locum Wexius ad Soph. Antig. v. **859**. affert, num huc referi possit, dubito. Dativus enim a participio παρόντα simili modo pendere potest, ut loco Platonico supra allato (p. 8) αὐτῷ a διεπράττετο. Accedit, quod similis usus verbi, unde deductum est πῆμα, vix afferri possit. Gravior autem et elegantior dativus, *mala, quae inciderunt in barbaros, iis quasi inhaerent et insident*.

Tertium dativorum pro genitivis positorum genus efficiunt substantiva verbalia, sensu passivo posita, ita ut dativus instrumentum significet, quo aliquid aut factum est, aut fieri solet, plane diversum ab usu dativi, quem huc usque illustravimus, sed simili ratione ex usu verborum explicandum. *) Soph. Oed. Col. v. **1027**. τὰ γὰρ δόλῳ τῷ μὴ δικαίῳ κτήματ' οὐχὶ σώζεται, ubi Hellerus figuram ἓν διὰ δυοῖν statuit. Similiter κίνησις τῷ σώματι, ἡ τοῖς βέλεσιν ἔφεσις, μίμησις φωναῖς etc. v. Matth. Gr. Gr. §. **396**. a. Kühn. Gr. Gr. §. **585**. adde Ast. ad Plat. Legg. p. **34**. Stallbaum. ad Plat. Cratyl. p. **169** et p. **201**.

Quarti generis sunt dativi substantivis ab adjectivis, quae casum tertium regunt, derivatis adjuncti. Hom. Od. γ, **4**. ὁμηλικίη ἐμοὶ αὐτῷ. Thucyd. **5**, **5**. ἐν δὲ τῇ παρακομιδῇ τῇ ἐς τὴν Σικελίαν καὶ πάλιν ἀναχωρήσει καὶ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ τισὶ πόλεσιν ἐχρημάτισε περὶ φιλίας τοῖς Ἀθηναίοις. Plat. Gorg. p. **513**. A. εἰ μέλλεις τι γνήσιον ἀπεργάζεσθαι εἰς φιλίαν τῷ Ἀθηναίων δήμῳ. Ita saepe dativus substantivis similitudinem et convenientiam significantibus adjectus. v. Stallb. ad Plat. Remp. T. I. p. **214**. **366**. **372**.

---

*) Vis ista instrumentalis dativi qua ratione a primaria ejus potestate sit repetenda, explicare in aliud jam tempus differendum. Sufficiat verbo monere, vim ejus esse plane eandem; nam ἡ τοῖς βέλεσιν ἔφεσις significat proprie ἔφεσιν, quam accipiunt quasi βέλη, acceptamque suam faciunt, atque ita vim in id, quod petitur, exercent.

Quinto generi adnumero dativos substantivis cum adjectivis conjunctis appositos, ita ut dativus non tam ab adjectivo pendere videatur, quam ab omisso participio verbi substantivi. Soph. Electr. v. **193**. *οἰκτρὰ μὲν νόστοις αὐδά, lamentabilis reditui i. e. reducibus vox,* quippe quos non laeti clamores, sed lugubres exceperunt ejulatus. Languida oratio ex Hermanni, qui ex iis quae sequuntur, *ἐν* supplet, explicatione: *lamentabilia fuere, quae dicta sunt in reditu patris.* Ibid. V. **1066**. *ὦ χθονία βροτοῖσι φάμα* i. e. *fama, quae hominibus penetras usque in loca infera, quae hominum res, casus, calamitates nuncias inferis, ut hi ad auxilium ferendum suscitentur.* Eurip. Phoen. V. **86**. *ὦ κλεινὸν οἴκοις, Ἀντιγόνη, θάλος πατρί* i. e. *proles, quae clara est patri, quae gloriam, lucem, splendorem adtulit patri,* ita ut dulcedo quaedam et caritas insit in dativo, sensum et animum patris significante. Ceterum a verbis *κλεινὸν πατρί* in unam quasi notionem conjunctis pendet alter dativus *οἴκοις,* quem cave explices cum Matth. Gr. Gr. p. **714**. *ἐν οἴκοις,* quippe qui et ipse significat, *gloriam et splendorem, quae proficiscuntur e filia, etiam ad totam domum pertinere.* Ceterum in his tribus locis, quos solos mihi notavi, quanquam vel sermonis Latini usus multo plura id genus exempla inveniri fidem facit, forma orationis liberior et audacior efficere potuit, ut Dativus poneretur. Quaevis enim exclamatio totam semper continet enunciationem, sed eam quam brevissime, neque si grammaticam rationem spectas, plene verbis explicatam.

Restat ultimum dativorum pro genitivis positorum genus idque rarissimum, ex quo dativus solis substantivis, neque iis verbalibus, adnexus nec verbum neque adjectivum habet, unde pendeat. Primo loco pono exemplum, quod eandem fere excusationem habet, quam ad tres Sophoclis et Euripidis locos, quos classi quintae adnumeravi, adhibui. Aesch. VII, v. **995**. *ἰὼ ἰὼ κακὰ δώμασι καὶ χθονὶ, πρὸ πάντων δ' ἐμοί.* Elegantissimus dativi usus, qui *mala, quae domus, terra, Antigona senserunt, quaeque eam cum genere et patria premunt et vexant,* oculis quasi subjicit. — Aesch. Pers. v. **1022**. *Ξ. ὁρᾷς τὸ λοιπὸν τόδε τᾶς ἐμᾶς στολᾶς; Χο. ὁρῶ, ὁρῶ, Ξ. τάνδε τ' οἰστοδέγμονα; Χο. τί τόδε λέγεις σεσωσμένον; Ξ. θησαυρὸν βελέεσσι.* i. e. *pharetram, quae est thesaurus, receptaculum sagittis.*

His expositis ita licet statuere: longe maximum locorum, in quibus dativus pro genitivo videtur positus esse, numerum efficiunt ii, in quibus dativus ad verbum enuntiationis relatus quasi interiorem quandam conjunctionem cum subjecto actionis significat, ita ut genitivus cum substantivo conjunctus plerisque locis poni quidem possit, sed dativus orationem faciat quasi vividiorem, graviorem, elegantiorem, iisque in locis inprimis frequens et paullo liberior est pronominum personalium usus; liberior etiam usus dativi cum substantivis verbalibus conjuncti, naturam verborum servantibus, ut permultis quidem locis eadem, quae modo dixi, valeant; sed magna eorum locorum, in quibus dativus revera a

